

## II ESDRÆ ID EST LIBER NEHEMIÆ

<sup>1</sup> Verba Nehemiæ filii Helchiæ. Et factum est in mense Casleu, anno vigesimo, et ego eram in Susis castro. \* <sup>2</sup> Et venit Hanani, unus de fratribus meis, ipse et viri ex Juda: et interrogavi eos de Judæis qui remanserant, et supererant de captivitate, et Jerusalem. <sup>3</sup> Et dixerunt mihi: Qui remanserunt,

---

\* **1:1** Verba Nehemiæ filii. BED. in Esdram, tom. 2. Nehemias interpretatur consolator Domini, etc., usque ad quasi diruta ab hostibus Hierosolymorum moenia restaurant. Verba Nehemiæ. ID., ibid. Hucusque verba Esdræ, etc., usque ad qui non blandimentis temporalibus enervari, sed adversitatibus exerceri, et ad requiem sempiternam gaudent præparari. In mense Casleu. ID., ibid. Mensis Casleu ipse est quem nos Decembrem vocamus, apud Hebraeos nonus, apud nos ultimus. Cujus nomen quod spes ejus interpretatur, bene congruit votis ejus, qui ad ruinas sanctæ civitatis intendebat erigendas. Primum enim bonæ actionis fundamentum est, spem habere de auxilio Domini ad perficiendum quod cupimus. In hoc mense natus est Dominus, cuius nomine longe ante figurabatur, quod in eo mense verus Nehemias diu desideratus ad ædificationem Ecclesiæ esset venturus. Eram in Susis. ID., ibid. Susis metropolis est Persarum, sed tanta firmitate, ut castrum esse videatur, et interpretatur equitatio vel revertens, quæ fidelibus convenienter aptatur, eis maxime, qui de captivitate Jerusalem curam gerunt, id est, de salute eorum, qui aliquando per insidias diaboli de Ecclesia rapti pœnitentes denuo per gratiam Dei sunt redacti. Tales enim sunt in revertente castro, id est, in robore mentis revocatae ab infimis ad desiderium patriæ cœlestis, et in equitatu sanctorum cordium, quæ scilicet portant sessorem Deum. Qui remanserunt. ID., ibid. Patet litteræ sensus, etc., usque ad indignos arcere debuerant, avaritiæ, luxuriæ cæterorumque vitiorum incendio perire.

et relict sunt de captivitate ibi in provincia, in afflictione magna sunt, et in opprobrio: et murus Jerusalem dissipatus est, et portæ ejus combustæ sunt igni.<sup>4</sup> Cumque audissem verba hujuscemodi, sedi, et flevi, et luxi diebus multis: jejunabam, et orabam ante faciem Dei cæli:<sup>†</sup><sup>5</sup> et dixi: Quæso, Domine Deus cæli fortis, magne atque terribilis, qui custodis pactum et misericordiam cum his qui te diligunt, et custodiunt mandata tua: <sup>6</sup> fiant aures tuæ auscultantes, et oculi tui aperti, ut audias orationem servi tui, quam ego oro coram te hodie nocte et die pro filiis Israël servis tuis: et confiteor pro peccatis filiorum Israël, quibus peccaverunt tibi: ego et domus patris mei peccavimus,<sup>7</sup> vanitate seducti sumus, et non custodivimus mandatum tuum, et cæremonias, et judicia quæ præcepisti Moysi famulo tuo. <sup>8</sup> Memento verbi quod mandasti Moysi servo tuo, dicens: Cum transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos:<sup>9</sup> et si revertamini ad me, et custodiatis præcepta mea, et faciatis ea: etiamsi abducti fueritis ad extrema cæli, inde congregabo vos, et reducam in locum quem elegi ut habitaret nomen meum ibi.<sup>10</sup> Et ipsi servi tui, et populus tuus, quos redemisti in fortitudine tua magna, et in manu tua valida.<sup>11</sup> Obsecro, Domine, sit auris tua attendens ad

---

† **1:4** Flevi et luxi. Si vir sanctus audiens destructa lignorum et lapidum ædificia recte lugebat, jejunabat, et orabat, diu sedens in tristitia, quanto magis in destructione et ruina animarum continuis luctibus, et orationibus est insistendum, ut miserante Deo ad pristinam erigantur sospitatem, qui in opprobrio religionis triumphante inimico jacebant diutina vitiorum sorde squalentes.

orationem servi tui, et ad orationem servorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum: et dirige servum tuum hodie, et da ei misericordiam ante virum hunc. Ego enim eram pincerna regis.

## 2

<sup>1</sup> Factum est autem in mense Nisan, anno viagesimo Artaxerxis regis: et vinum erat ante eum, et levavi vinum, et dedi regi: et eram quasi languidus ante faciem ejus.\* <sup>2</sup> Dixitque mihi rex: Quare vultus tuus tristis est, cum te ægrotum non videam? non est hoc frustra, sed malum nescio quod in corde tuo est. Et timui valde, ac nimis: <sup>3</sup> et dixi regi: Rex, in æternum vive: quare non mœreat vultus meus, quia civitas domus sepulchrorum patris mei deserta est, et portæ ejus combustæ sunt igni? <sup>4</sup> Et ait mihi rex: Pro qua re postulas? Et oravi Deum cæli, <sup>5</sup> et dixi ad regem: Si videtur regi bonum, et si placet servus tuus ante faciem tuam, ut mittas me in Judæam ad civitatem sepulchri patris mei, et ædificabo eam.† <sup>6</sup> Dixitque mihi rex, et regina quæ sedebat juxta eum: Usque ad quod tempus erit iter tuum, et quando reverteris? Et placuit ante vultum regis, et misit me: et constitui ei tempus. <sup>7</sup> Et dixi

---

\* **2:1** Factum est autem. BED. in Esdram. Qui scilicet est primus mensis anni, etc., usque ad suum intimare. Erat quidem princeps vinalius, regi poculum porrigebat, officium lætitiae foris agebat, sed interius lugebat: quia civitatem sanctam dirutam, etc. Unde: Super flumina Babylonis illic sedimus, etc. Psal. CXXVI. † **2:5** Si videtur, etc. ID., ibid. Sicut per Cyrus primum Persarum regem Christus significatur, etc., usque ad de qua tota prophetæ sententia plenissime, prout potui, in libro temporum edisserere curavi.

regi: Si regi videtur bonum, epistolas det mihi ad duces regionis trans flumen, ut traducant me, donec veniam in Judæam: <sup>8</sup> et epistolam ad Asaph custodem saltus regis, ut det mihi ligna, ut tegere possim portas turris domus, et muros civitatis, et domum quam ingressus fuero. Et dedit mihi rex juxta manum Dei mei bonam mecum. <sup>9</sup> Et veni ad duces regionis trans flumen, dedique eis epistolas regis. Miserat autem rex mecum principes militum, et equites. <sup>10</sup> Et audierunt Sanaballat Horonites, et Tobias servus Ammanites: et contrastati sunt afflictione magna, quod venisset homo qui quæreret prosperitatem filiorum Israël.‡ <sup>11</sup> Et veni Jerusalem, et eram ibi tribus diebus. <sup>12</sup> Et surrexi nocte ego, et viri pauci mecum, et non indicavi cuiquam quid Deus dedisset in corde meo ut facerem in Jerusalem: et jumentum non erat mecum, nisi animal cui sedebam. <sup>13</sup> Et egressus sum per portam vallis nocte, et ante fontem draconis, et ad portam stercoris, et considerabam murum Jerusalem dissipatum, et portas ejus consumptas igni. <sup>14</sup> Et transivi ad portam fontis, et ad aqueductum regis, et non erat locus jumento cui sedebam ut transiret. <sup>15</sup> Et ascendi per torrentem nocte, et considerabam murum, et reversus veni

---

‡ **2:10** Et audierunt. Contrastantur hæretici, etc., usque ad et eos, qui peccando erraverunt, pœnitendo redire cognoscunt.

ad portam vallis, et redii. § 16 Magistratus autem nesciebant quo abiissem, aut quid ego facerem: sed et Judæis, et sacerdotibus, et optimatibus, et magistratibus, et reliquis qui faciebant opus, usque ad id loci nihil indicaveram. 17 Et dixi eis: Vos nostis afflictionem in qua sumus: quia Jerusalem deserta est, et portæ ejus consumptæ sunt igni: venite, et ædificemus muros Jerusalem, et non simus ultra opprobrium. \*\* 18 Et indicavi eis manum Dei mei, quod esset bona mecum, et verba regis quæ locutus esset mihi, et aio: Surgamus, et ædificemus. Et confortatæ sunt manus eorum in bono. 19 Audierunt autem Sanaballat Horonites, et Tobias servus Ammanites, et Gosem Arabs, et subsannaverunt nos, et despexerunt, dixeruntque: Quæ est hæc res quam facitis? numquid contra regem vos rebellatis? 20 Et reddidi eis ser-

§ 2:15 Considerabam murum Jerusalem. Diversa destructæ urbis loca lustrando pervagatur; et singula quomodo debeant reparari, sollicite scrutatur. Doctorum quoque spiritualium est sæpius noctu surgere, et solerti indagine statum Ecclesiæ quiescentibus cæteris inspicere, ut vigilanter inquirant, quomodo ea quæ vitiorum bellis sordidata vel dejecta sunt, corrigant et erigant. Murus autem Jerusalem dissipatus jacet, et conversatio fidelium terrenis et infirmis sordet affectibus. Portæ sunt igni consumptæ, cum hi qui aliis introitum vitæ pandere debuerant, relicto veritatis magistro communi, cum cæteris ignavia torpent, et temporalibus curis inserviunt. \*\* 2:17 Quia Jerusalem deserta est. BED., ibid. Plana sunt hæc et spirituali sensu congrua: quia doctores, imo omnes qui zelo Dei fervent, in afflictione maxima sunt, quandiu Jerusalem, id est visionem pacis, quam nobis Deus reliquit et commendavit, bellis dissensionum cernunt esse desertam: et portas virtutum, quas juxta Isaiam laudatio occupare debuerat, præalentibus inferorum portis dejectas, et opprobrio habitas.

monem, dixique ad eos: Deus cæli ipse nos juvat,  
et nos servi ejus sumus: surgamus et ædificemus:  
vobis autem non est pars, et justitia, et memoria  
in Jerusalem.

### 3

<sup>1</sup> Et surrexit Eliasib sacerdos magnus, et fratres  
ejus sacerdotes, et ædificaverunt portam gregis:  
ipsi sanctificaverunt eam, et statuerunt valvas  
ejus, et usque ad turrim centum cubitorum sanc-

tificaverunt eam, usque ad turrim Hananeel.\* <sup>2</sup> Et

---

\* **3:1** Et surrexit Eliasib sacerdos. BEDA in Esdram, tom. 2, lib. 3. Id est, pontifex temporis illius filius Joachim, qui post patrem suum Jesum filium Josedec, non parvo tempore pontificatum tenuit. Et recte restauratio civitatis a sacerdote magno et fratribus ejus cœpit: ut qui gradu præcesserant ordinis, exemplum fierent aliis in bonis operibus. Et bene ædificantibus sacerdotibus adjungitur: Et usque ad turrim centum cubitorum sanctificaverunt eam usque ad turrim Hananæl. Ædificant enim sacerdotes in centenario numero cubitorum, cum omnes quos erudiunt, amore et desiderio æternorum incendunt. Nam centum, quæ in computo digitorum de lœva transeunt in dexteram, cœlestia bona figurant, quæ comparatio terrenorum quasi dextera ad sinistram sunt. Et ædificaverunt. ID., ibid. Vetus translatio habet, etc., usque ad et in illa laventur. ID., ibid. Videtur juxta litteram; etc., usque ad sola internæ retributionis intentione protendunt. Portam gregis. Quæ, scilicet, respicit Joppen et Diospolim, id est, Lyddam, vicinior mari inter cunctas vias Jerusalem; quæ nunc porta David fertur appellari, et esse prima portarum ad occidentem montis Sion. Huic opinioni consentire videntur Verba dierum, ubi scriptum est de Manasse rege Juda: Post hoc ædificavit murum extra civitatem David, etc. II Par. 12. BED., ibid. Typice autem, sicut grex significat Domini fideles, etc., usque ad temporibus autem Ezechiae duplicatum fuisse murum civitatis Verba dierum sic ostendunt: Ædificavit quoque agens industrie omnem murum, etc. II Par. 23. Typice autem iste Sophonias vocem clamoris a porta piscium et ululatum audivit a secunda: quia ab hostibus utramque dejiciendam præcognovit. Fidem enim et opera doctorum per quæ ab undis vitæ corruptibilis cæteros erui, et in Ecclesiam oportebat induci, vidi diaboli insidiis terræ esse sternenda, id est, per appetitum terrenæ voluptatis cœlestibus gaudiis esse privandos. Bene autem ab utraque porta, prima, scilicet, et secunda, interiori et exteriori, vocem clamoris et ululatus audivit: quia exterius opera, et intus corda diabolo impugnante vidit subvertenda. Sed quia Dominus erigit elisos, Nehemias portam piscium post ruinam narrat instauratam: quia si aliqui prædicatorum peccando corruerint, non deerunt usque in finem sæculi, qui succedentes portas justitiae Domino adjuvante fidelibus bene vivendo et prædicando aperiant. Ipsi texerunt. ID., ibid. Hic versus etiam de cæteris portis, etc., usque ad qui plus periculi nobis laudando afferant, quam salutaris adminiculi a nobis videndo referant.

juxta eum ædificaverunt viri Jericho: et juxta eum ædificavit Zachur filius Amri. <sup>3</sup> Portam autem piscium ædificaverunt filii Asnaa: ipsi texerunt eam, et statuerunt valvas ejus, et seras, et vectes. Et juxta eos ædificavit Marimuth filius Uriæ, filii Accus. <sup>4</sup> Et juxta eum ædificavit Mosollam filius Barachiæ, filii Mesezebel: et juxta eos ædificavit Sadoc filius Baana. <sup>5</sup> Et juxta eos ædificaverunt Thecueni: optimates autem eorum non supposuerunt colla sua in opere Domini sui. <sup>6</sup> Et portam veterem ædificaverunt Jojada filius Phasea, et Mosollam filius Besodia: ipsi texerunt eam, et statuerunt valvas ejus, et seras, et vectes.<sup>†</sup> <sup>7</sup> Et juxta eos ædificaverunt Meltias Gabaonites, et Jadon Meronathites, viri de Gabaon et Masphe, pro duce qui erat in regione trans flumen. <sup>8</sup> Et juxta eum ædificavit Eziel filius Araia aurifex: et juxta eum ædificavit Ananias filius pigmentarii: et dimiserunt Jerusalem usque ad murum plateæ latioris.<sup>‡</sup> <sup>9</sup> Et juxta eum ædificavit Raphaia filius Hur, princeps vici Jerusalem. <sup>10</sup> Et juxta eum ædificavit Jedaia filius Haromaph contra domum suam:

---

<sup>†</sup> 3:6 Ad portam veterem. De qua dicit Joannes: Charissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed vetus quod habuistis ab initio I Joan. 2.. Mandatum vetus est verbum quod audistis. Porta vero vetus ædificatur in Jerusalem, cum verbum fidei et dilectionis quod ab initio Ecclesiæ traditum est, vel recuperatur in errantibus, vel in nuper creditibus instituitur. <sup>‡</sup> 3:8 Ad murum. Firmitatem scilicet et munimentum perfectæ dilectionis in cordibus electorum, ad quam instructores ejus ædificando pervenient, cum in operibus charitatis proficiendo dicunt: Viam mandatorum tuorum cucurri, etc. Psal. 118., illa, scilicet dilatatione mentis illustratæ, quæ et amicum in Deo et inimicum diligunt propter Deum.

et juxta eum ædificavit Hattus filius Haseboniæ.  
**11** Medium partem vici ædificavit Melchias filius Herem, et Hasub filius Phahath Moab, et turrim furnorum. **12** Et juxta eum ædificavit Sellum filius Alohes, princeps mediæ partis vici Jerusalem, ipse et filiæ ejus. **13** Et portam vallis ædificavit Hanun, et habitatores Zanoë: ipsi ædificaverunt eam, et statuerunt valvas ejus, et seras, et vectes, et mille cubitos in muro usque ad portam sterquilinii. **§**  
**14** Et portam sterquilinii ædificavit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacharam: ipse ædificavit eam, et statuit valvas ejus, et seras, et vectes. **15** Et portam fontis ædificavit Sellum filius Cholhoza, princeps pagi Maspha: ipse ædificavit eam, et texit, et statuit valvas ejus, et seras, et vectes, et muros piscinæ Siloë in hortum regis, et usque ad gradus qui descendunt de civitate

---

**§ 3:13** Et portam vallis. BEDA, ubi supra. Vallis Josaphat, quæ et Gehennon, etc., usque ad id est humiles dono supernæ refectionis. Et portam vallis. ID., ibid. Bene post portam veterem et murum latioris plateæ ædificatur porta vallis, quia post rudimenta catholicæ fidei quæ per dilectionem operatur, necesse est ut humilitas nobis quasi custos virtutum tenenda insinuetur, ut quanto magni sumus, humiliemur in omnibus. Et mille. ID., ibid. Ferunt quia situs urbis Jerusalem, etc., usque ad ut omnia a se rudera actionis noxiæ inutilis locutionis et etiam superfluæ cogitationis ejiciant.

David.\*\* 16 Post eum ædificavit Nehemias filius Azboc, princeps dimidiæ partis vici Bethsur, usque contra sepulchrum David, et usque ad piscinam quæ grandi opere constructa est, et usque ad domum fortium.†† 17 Post eum ædificaverunt Levitæ, Rehum filius Benni: post eum ædificavit Hasebias princeps dimidiæ partis vici Ceilæ in vico suo. 18 Post eum ædificaverunt fratres eorum: Bavai filius Enadad, princeps dimidiæ partis Ceilæ: 19 et ædificavit juxta eum Azer filius Josue, princeps Maspera, mensuram secundam, contra

\*\* 3:15 Et portam fontis ædificavit Sellum filius, etc. ID., ibid. Narrant scriptores, etc., usque ad gradus ipsius Ecclesiæ incrementis et profectibus bonorum operum, quæ per humilitatem fiunt comparans. De civitate David, etc. Civitas David juxta litteram mons Sion appellatur, qui a meridie positus pro arce urbi supereminet, et major pars civitatis infra montem jacet in planicie humilioris collis sita. Unde in libro Regum: Cepit autem David arcem Sion, hæc est civitas David II Reg. 5.. Et paulo post: Habitavit autem David in arce, et vocavit eam civitatem David Ibid. †† 3:16 Aedificavit Nehemias filius Asboth, etc. BEDA, ubi supra. Post portam fontis et muros piscinæ Silœ, etc., usque ad et ad regnum cœlestis ascensuros cognoscant. Contra sepulcrum David, etc. ID., ibid. Nota David non in Bethlehem, ut quidam putant, sed in Jerusalem esse sepultum certa ratione mysterii. Sicut enim in Bethlehem natus et in regem unctus Christum ibidem nasciturum de suo semine, et a magis sub persona regis adorandum figuravit; ita in Jerusalem defunctus et sepultus ipsum in eadem civitate passurum ac sepeliendum. Ad piscinam, etc. ID., ibid. Piscinam, Scripturam scilicet divinam, etc., usque ad et si hostis antiquus fontem nobis abstulerit verbi Dei, continuo in arcem mentis irrumpit.

ascensum firmissimi anguli.†† 20 Post eum in monte ædificavit Baruch filius Zachai mensuram secundam, ab angulo usque ad portam domus Eliasib sacerdotis magni. 21 Post eum ædificavit Merimuth filius Uriæ filii Haccus, mensuram secundam, a porta domus Eliasib, donec extendetur domus Eliasib. 22 Et post eum ædificaverunt sacerdotes, viri de campestribus Jordanis. 23 Post eum ædificavit Benjamin et Hasub contra domum suam: et post eum ædificavit Azarias filius Maasiæ filii Ananiæ contra domum suam. 24 Post eum ædificavit Bennui filius Henadad mensuram secundam, a domo Azariæ usque ad flexuram, et usque ad angulum. 25 Phalel filius Ozi contra flexuram, et turrim quæ eminet de domo regis excelsa, id est, in atrio carceris: post eum Phadaia filius Pharos. 26 Nathinæi autem habitabant in Ophel usque contra portam aquarum ad orien-

---

†† 3:19 Et ædificavit, etc. ID., ibid. Hucusque primus civitatis murus exstruitur, etc., usque ad in quo interni arbitrii oculos offendamus. Contra ascensum, etc. Hic est Christus qui in fide sua et dilectione Judæorum populum adunavit et gentium: unde lapis angularis dicitur. Contra cujus ascensum mensura secunda ædificatur, cum per munditiam piæ cogitationis ad visionem ejus tendimus, cum etiam in hac vita retenti crebro visionis ejus desiderio suspiramus. Sequuntur plurimi structorum ordines, qui mensuram secundam ædificasse narrantur: quia maxima Ecclesiæ structura est in munagine interioris virtutis, cum scilicet omni custodia munimus cor nostrum, quoniam ex ipso vita procedit. Singula vero ad intelligentiam spiritualem trahere nimis longum est.

tem, et turrim quæ prominebat. §§ 27 Post eum ædificaverunt Thecueni mensuram secundam e regione, a turre magna et eminente usque ad mu-

---

§§ 3:26 Nathinæi. Dicuntur Gabaonitæ, qui in ministerium domus Domini juxta dispositionem Josue filii Nun fideli devotione serviebant. In Ophel. BEDA, ibid. Turris erat non longe a templo altitudine enormi. Unde Ophel, id est, tenebrarum vel nubili nomen accepit, quia nubibus caput inseruit. Denique ubi in Michæa scriptum est: Et tu turris gregis nebulosa Mich. 4., benedicitur turris Ophel. Hæc turris in qua parte sit civitatis, liber Paralipomenon ostendit, dicens quod Manasses ædificavit murum extra civitatem David ad occidentem Gihon in convalle, ab introitu portæ piscium per circuitum usque ad Ophel II Par. 33.. Conveniebat ergo juxta situm loci, ut ministri templi in vicina templo turre habitarent. Mystice autem Nathinæi habitant in Ophel, id est, in turre nebulosa, cum hi qui professione perfectioris vitæ dicati sunt Deo, et in munimento et altitudine virtutum actione semper et cogitatione morantur, et conversatio eorum in cœlis est, quos admirans vulgus ait: Qui sunt isti qui ut nubes volant Isa. 60., etc. Item Thecueni habitant in Ophel, cum quique religionis habitu insignes abdita Scripturarum de quibus scriptum est: Tenebrosa aqua in nubibus æris Psal. 17., id est, mystica scientia in prophetis, illustrato corde penetrant, et assidue legunt, et meditantur. Contra. BEDA, ibid. Dominum scilicet, qui quotidie nos misericordiæ suæ gratia, ne in ærumnis vitæ labamur præsentis et deficiamus, irrigat, etc., usque ad et quia post præsentia virtutum dona ad videndam claritatem Domini ascenditur, recte infertur: Post eum ædificaverunt Thecueni, etc.

rum templi.\*\*\* 28 Sursum autem a porta equorum ædificaverunt sacerdotes, unusquisque contra domum suam.††† 29 Post eos ædificavit Sadoc filius Emmer contra domum suam. Et post eum ædificavit Semaia filius Secheniæ, custos portæ orientalis. 30 Post eum ædificavit Hanania filius Seleminiæ, et Hanun filius Seleph sextus, mensuram secundam: post eum ædificavit Mosollam filius Barachiæ, contra gazophylacium suum. Post eum ædificavit Melchias filius aurificis usque ad domum Nathinæorum, et scruta vendentium contra portam judicialem, et usque ad cœnaculum an-

\*\*\* 3:27 A turre. A turre magna et eminenti usque ad murum templi pervenit structura civitatis, cum justi ab altitudine contemplationis, quæ mentem in hac vita despectis temporalibus ad cœlestia desideria suspendunt, veraciter in illa vita ad claritatem Dominicæ incarnationis intuendam, patefacta etiam divinæ æternitatis gloria ascendunt. Et quia Thecua buccina vel tuba, Thecueni buccinatores interpretantur, apte dicitur quod Thecueni hoc ædificaverint. Doctorum enim est quorum sonus exit in omnem terram, præsentia Dei dona vel futura in civitate ejus, id est, fidelibus patefacere. Ad murum templi. Corpus scilicet Christi: de quo dicitur Joan. 2: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud: quod scilicet persecutores in morte solverant, sed excitatum et ad cœlos exaltatum amatores videre non cessant in gloria. ††† 3:28 Sursum autem, etc. BEDA, ibid. Hanc portam significat Jeremias esse in orientali plaga civitatis, etc., usque ad equi cum in bono accipiuntur, sicut asini, cameli, et muli, conversos ad Dominum populos Gentilium, vel curas rerum temporalium, Domino scilicet animæ subjugatas ostendunt. Ædificaverunt sacerdotes, etc. Sacerdotes vero civitatis Dei murum ad portam aquarum ædificant, cum doctores post vocationem Judæorum ad inducendos in Ecclesiam Gentiles, verbum Dei seminando perveniunt. BEDA, ibid. Longum est de singulis ædificiis vel ædificatoribus mystice disserere, etc., usque ad nomina conscribit in cœlo.

guli. <sup>31</sup> Et inter cœnaculum anguli in porta gregis, ædificaverunt aurifices et negotiatores.

## 4

<sup>1</sup> Factum est autem, cum audisset Sanaballat quod ædificaremus murum, iratus est valde: et motus nimis subsannavit Judæos,\* <sup>2</sup> et dixit coram fratribus suis, et frequentia Samaritanorum: Quid Judæi faciunt imbecilles? num dimittent eos gentes? num sacrificabunt, et complebunt in una die? numquid ædificare poterunt lapides de acervis pulveris, qui combusti sunt? <sup>3</sup> Sed et Tobias Ammanites, proximus ejus, ait: Ædificant: si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum.† <sup>4</sup> Audi, Deus noster, quia facti sumus despectui: converte opprobrium super caput eorum, et da eos in despectionem in terra captivitatis. <sup>5</sup> Ne operias iniquitatem eorum, et peccatum eorum coram facie tua non deleatur, quia irriserunt ædificantes. <sup>6</sup> Itaque ædificavimus murum, et conjunximus totum usque ad partem dimidiā: et provocatum est cor populi ad operandum. <sup>7</sup> Factum est autem, cum audisset Sanaballat, et Tobias, et Arabes, et Ammanitæ, et Azotii, quod obducta esset cicatrix muri Jerusalem, et quod cœpissent interrupta

---

\* <sup>4:1</sup> ... Sanaballat... motus nimis subsannavit Judæos. BEDA in Esdras, lib. 3, cap. 19, tom. 2. Plane ira hæreticorum est. Hæc sunt verba eorum qui se Samaritanos cognominant, id est, custodes legis Dei, etc., usque ad et ornamenta virtutum moribus emendati consequantur. † <sup>4:3</sup> Sed et Tobias, etc. ID., ibid. Hujus Tobiæ persona et verba hæreticis convenient, etc., usque ad quibus fructiferas fidelium mentes corrumpere nituntur.

concludi, irati sunt nimis. <sup>8</sup> Et congregati sunt omnes pariter ut venirent, et pugnarent contra Jerusalem, et molirentur insidias. <sup>9</sup> Et oravimus Deum nostrum, et posuimus custodes super murum die ac nocte contra eos.<sup>‡</sup> <sup>10</sup> Dixit autem Judas: Debilitata est fortitudo portantis, et humus nimia est, et nos non poterimus ædificare murum.<sup>§</sup> <sup>11</sup> Et dixerunt hostes nostri: Nesciant, et ignorent donec veniamus in medium eorum, et interficiamus eos, et cessare faciamus opus.<sup>\*\*</sup> <sup>12</sup> Factum est autem venientibus Judæis qui habitabant juxta eos, et dicentibus nobis per decem vices, ex omnibus locis quibus venerant ad nos, <sup>13</sup> statui in loco post murum per circuitum populum in ordinem cum gladiis suis, et lanceis, et

---

<sup>‡</sup> **4:9** Et oravimus. Hoc est unicum contra hostes Ecclesiæ refugium, oratio scilicet ad Deum, et industria doctorum, qui die nocteque in lege ejus meditantes, corda fidelium contra insidias diaboli et militum ejus prædicando, consolando, et exhortando præmuniunt. <sup>§</sup> **4:10** Humus nimia est. BEDA, ibid. Congesta, scilicet, in loco muri, etc., usque ad et pro domo vel civitate procella tentationis ingruente, ruinam ædificasse probatur. <sup>\*\*</sup> **4:11** Dixerunt hostes, etc. Hæc in ædificio spirituali agi solent; manet enim indefessus hostis cum satellitibus suis, spiritibus scilicet immundis et hominibus malignis, qui opera virtutum et fidei nobis incautis impedire et expugnare contendunt, et mentem fidelium mucrone pravæ suggestionis interficere. Sed contra hæc nobis armatura Dei sumenda est, ut possimus resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare.

arcubus. †† 14 Et perspexi atque surrexi: et aio ad optimates et magistratus, et ad reliquam partem vulgi: Nolite timere a facie eorum: Domini magni et terribilis mementote, et pugnate pro fratribus vestris, filiis vestris, et filiabus vestris, et uxoribus vestris, et domibus vestris. 15 Factum est autem, cum audissent inimici nostri nuntiatum esse nobis, dissipavit Deus consilium eorum. Et reversi sumus omnes ad muros, unusquisque ad opus suum. 16 Et factum est a die illa, media pars juvenum eorum faciebat opus, et media parata erat ad bellum: et lanceæ, et scuta, et arcus, et loricæ, et principes post eos in omni domo Juda. ‡‡ 17 Aedificantum in muro, et portantium onera, et imponentium: una manu sua faciebat opus, et altera tenebat gladium: 18 aedificantum enim unusquisque gladio erat accinctus renes. Et aedificabant, et clangebant buccina juxta me. 19 Et dixi ad optimates, et ad magistratus, et ad reliquam partem vulgi: Opus grande est et latum, et nos separati sumus in muro procul alter ab altero: 20 in loco quocumque audieritis clangorem tubæ,

†† 4:13 Statui in loco, etc. Ut agmine, scilicet armatorum circumdati operatores liberius et securius aedificarent. Dispertiti enim sunt gradus fidelium: alii bonis operibus intus ornantes Ecclesiam aedificant: alii armis sacræ lectionis muniti contra impugnantes hæreticos vigilant. Hi religiosa devotione proximos in fidei veritate confortant, illi adversus diaboli vel vitiorum tela necessarium certamen exercent, et ab ovili dominico insidiantes lupos pastorali sollicitudine arcent. ‡‡ 4:16 A die illa, media pars, etc. BED., ibid., cap. 20. Notandum, quia non solum media pars juvenum faciebat opus, etc., usque ad minorisque laboris est incognitam cavere carnis voluptatem, quam rejicere cognitam.

illuc concurrite ad nos: Deus noster pugnabit pro nobis. <sup>21</sup> Et nos ipsi faciamus opus, et media pars nostrum teneat lanceas ab ascensu auroræ donec egrediantur astra. <sup>22</sup> In tempore quoque illo dixi populo: Unusquisque cum puero suo maneat in medio Jerusalem, et sint nobis vices per noctem et diem ad operandum. §§ <sup>23</sup> Ego autem et fratres mei, et pueri mei, et custodes, qui erant post me, non deponebamus vestimenta nostra: unusquisque tantum nudabatur ad baptismum.

## 5

<sup>1</sup> Et factus est clamor populi et uxorum ejus magnus adversus fratres suos Judæos.\* <sup>2</sup> Et erant qui dicerent: Filii nostri et filiæ nostræ multæ sunt nimis: accipiamus pro pretio eorum frumentum, et comedamus, et vivamus. <sup>3</sup> Et erant qui dicerent: Agros nostros, et vineas, et domus nostras opponamus, et accipiamus frumentum in fame. <sup>4</sup> Et alii dicebant: Mutuo sumamus pecunias in tributa regis, demusque agros nostros et vineas:

---

§§ 4:22 Et sint vobis vices per noctem et diem. ID., ibid. Nota quantum studium in operando habuerint, etc., usque ad contradicentes arguendo ab Ecclesia repellunt. \* 5:1 Et factus est clamor, etc. BEDA in Esdr, lib. 3, cap. 21. Desiderabat populus murum construere, etc., usque ad et manus nostras a propriis voluptatibus avertens ad construendam Christi convertat civitatem. ID., ibid. Tribus de causis augetur clamor populi. Quidam fame coacti filios suos ditoribus vendere volebant: alii liberis parcentes agros potius et domos. Nonnulli, prohibentes liberorum et agrorum venditionem, hoc tantum persuadebant, ut mutuo sumerent pecuniam in tributa regis, oppignoratis agris et vineis, donec redeunte fertilitate reddere possent feneratoribus quod mutuo accepissent.

5 et nunc sicut carnes fratrum nostrorum, sic carnes nostræ sunt: et sicut filii eorum, ita et filii nostri: ecce nos subjugamus filios nostros et filias nostras in servitutem, et de filiabus nostris sunt famulæ, nec habemus unde possint redimi: et agros nostros et vineas nostras alii possident. 6 Et iratus sum nimis cum audissem clamorem eorum secundum verba hæc: 7 cogitavitque cor meum mecum, et increpavi optimates et magistratus, et dixi eis: Usurasne singuli a fratribus vestris exigitis? Et congregavi adversum eos concionem magnam,† 8 et dixi eis: Nos, ut scitis, redemimus fratres nostros Judæos, qui venditi fuerant gentibus secundum possibilitatem nostram: et vos igitur vendetis fratres vestros, et redimemus eos? Et siluerunt, nec invenerunt quid responderent. 9 Dixique ad eos: Non est bona res quam facitis: quare non in timore Dei nostri ambulastis, ne expobretur nobis a gentibus inimicis nostris? 10 Et ego, et fratres mei, et pueri mei commodavimus plurimis pecuniam et frumentum. Non repeta- mus in commune istud: æs alienum concedamus quod debetur nobis. 11 Reddite eis hodie agros suos, et vineas suas, et oliveta sua, et domos suas: quin potius et centesimum pecuniæ, frumenti, vini et olei, quam exigere soletis ab eis, date pro illis. 12 Et dixerunt: Reddemus, et ab eis nihil quæreremus: sicque faciemus ut loqueris. Et vocavi sacerdotes, et adjuravi eos ut facerent juxta quod dixeram. 13 Insuper excussi sinum

---

† 5:7 Et increpavi optimates, etc. BED., ibid. Tanquam dux optimus militiæ cœlestis et sapiens architectus civitatis Dei, etc., usque ad ut dimittat nobis Pater debita nostra.

meum, et dixi: Sic excutiat Deus omnem virum qui non compleverit verbum istud, de domo sua, et de laboribus suis: sic excutiatur, et vacuus fiat. Et dixit universa multitudo: Amen: et laudaverunt Deum. Fecit ergo populus sicut erat dictum.<sup>‡</sup> **14** A die autem illa, qua præceperat rex mihi ut essem dux in terra Juda, ab anno vigesimo usque ad annum trigesimum secundum Artaxerxis regis per annos duodecim, ego et fratres mei annonas quæ ducibus debebantur non comedimus.<sup>§</sup> **15** Duces autem primi, qui fuerant ante me, gravaverunt populum, et acceperunt ab eis in pane, et vino, et pecunia, quotidie siclos quadraginta: sed et ministri eorum depresso-  
popu-

<sup>‡</sup> **5:13** Insuper excussi sinum meum, et dixi: Sic excutiat Deus omnem, etc. Huic sententiæ terribilis clausula imponitur. Qui-cunque enim pauperibus misericordiam non impendit, vel ab eis qui non habent velut juste exigit, de domo sua excutitur, id est, de cœtu Ecclesiae, in qua putabat se perpetuo manere, et de laboribus, scilicet, in fructibus honorum operum, in quibus se laudabiliter laborasse putabat: nil prorsus laboris recipiet. Labores enim sine pietate non possunt apud Deum fructuosi esse. Et dixit universa multitudo, Amen. Quantum Nehemiæ objurgatio vel imprecatio corda omnium moverit, ostenditur: audita enim contestatione respondentes, amen, et Deum collaudantes, fecerunt quæ jussérat. In quo patet: quia non timore, sed amore dicta ejus suscepérunt.

<sup>§</sup> **5:14** Per annos duodecim. BEDA, ubi supra. Hoc exponit Apostolus, dicens: Quia statuit Dominus eos qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere: ego autem nullo horum usus sum I Cor. 9.. Duodecim autem annis Nehemias cum fratribus suis ita in ducatu vivebant, ut annonas quæ ducibus debebantur, non comederent: insinuans evangelicum opus esse in regimine plebis, opus rectoris notabiliter circa Ecclesiam exercere, et a subditis commodum terrenum non quærere.

lum. Ego autem non feci ita propter timorem Dei: <sup>16</sup> quin potius in opere muri ædificavi, et agrum non emi, et omnes pueri mei congregati ad opus erant. <sup>17</sup> Judæi quoque et magistratus centum quinquaginta viri, et qui veniebant ad nos de gentibus quæ in circuitu nostro sunt, in mensa mea erant. <sup>18</sup> Parabatur autem mihi per dies singulos bos unus, arietes sex electi, exceptis volatilibus, et inter dies decem vina diversa, et alia multa tribuebam: insuper et annonas ducatus mei non quæsivi: valde enim attenuatus erat populus. <sup>19</sup> Memento mei, Deus meus, in bonum, secundum omnia quæ feci populo huic.

## 6

<sup>1</sup> Factum est autem, cum audisset Sanaballat, et Tobias, et Gossem Arabs, et ceteri inimici nostri, quod ædificassem ego murum, et non esset in ipso residua interruptio (usque ad tempus autem illud valvas non posueram in portis), <sup>2</sup> miserunt Sanaballat et Gossem ad me, dicentes: Veni, et percutiamus fœdus pariter in viculis in campo Ono. Ipsi autem cogitabant ut facerent mihi malum.\* <sup>3</sup> Misi ergo ad eos nuntios, dicens: Opus grande ego facio, et non possum descendere, ne forte negligatur cum venero, et descendero ad vos. <sup>4</sup> Miserunt autem ad me secundum verbum hoc per quatuor vices: et respondi eis juxta sermonem priorem.

---

\* **6:2** Veni, et percutiamus fœdus, etc. BEDA, in Esdr, lib. 3, cap. 23, tom. 2. Hostes sanctæ civitatis persuadebant Nehemiæ in campestria descendere, etc., usque ad quia versutus hostis semper manus nostras tentat impedire, curemus eas semper divino auxilio confortare.

<sup>5</sup> Et misit ad me Sanaballat juxta verbum prius quinta vice puerum suum, et epistolam habebat in manu sua scriptam hoc modo: <sup>6</sup> In gentibus auditum est, et Gossem dixit, quod tu et Judæi cogitatis rebellare, et propterea ædifices murum, et levare te velis super eos regem: propter quam causam <sup>7</sup> et prophetas posueris, qui prædicent de te in Jerusalem, dicentes: Rex in Judæa est. Auditurus est rex verba hæc: idcirco nunc veni, ut ineamus consilium pariter. <sup>8</sup> Et misi ad eos, dicens: Non est factum secundum verba hæc, quæ tu loqueris: de corde enim tuo tu componis hæc. <sup>9</sup> Omnes enim hi terrebant nos, cogitantes quod cessarent manus nostræ ab opere, et quiesceremus: quam ob causam magis confortavi manus meas. <sup>10</sup> Et ingressus sum domum Semaiæ filii Dalaiæ filii Metabeel secreto. Qui ait: Tractemus nobiscum in domo Dei in medio templi, et claudamus portas ædis: quia venturi sunt ut interficiant te, et nocte venturi sunt ad occidendum te.† <sup>11</sup> Et dixi: Num quisquam similis mei fugit? et quis ut ego ingredietur templum, et vivet? non ingrediar. <sup>12</sup> Et intellexi quod Deus non misisset eum, sed quasi vaticinans locutus esset ad me, et Tobias et Sanaballat conduxisserunt eum. <sup>13</sup> Acceperat enim pretium, ut territus facerem, et peccarem, et haberent malum quod

---

† **6:10** Et ingressus. Pulsatus insidiis hostium Nehemias domum Samariæ quasi amici et fratriis ingreditur, sed ipsum insidiatorem et hostem invenit, tanquam externorum donis et amicitia corruptum. Semper enim electi habent foris pugnas, intus timores, nec solum apostoli, sed et prophetæ periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis ex falsis fratribus suspectam vitam agebant.

exprobrarent mihi. <sup>14</sup> Memento mei, Domine, pro Tobia et Sanaballat, juxta opera eorum talia: sed et Noadiæ prophetæ, et ceterorum prophetarum, qui terrebant me. <sup>15</sup> Completus est autem murus vigesimo quinto die mensis Elul, quinquaginta duobus diebus.† <sup>16</sup> Factum est ergo cum audissent omnes inimici nostri, ut timerent universæ gentes quæ erant in circuitu nostro, et conciderent intra semetipsos, et scirent quod a Deo factum esset opus hoc. § <sup>17</sup> Sed et in diebus illis multæ optimatum Judæorum epistolæ mittebantur ad Tobiam, et a Tobia veniebant ad eos. <sup>18</sup> Multi enim erant in Judæa habentes juramentum ejus, quia gener erat Secheniæ filii Area, et Johanan filius ejus acceperat filiam Mosollam filii Barachiæ: <sup>19</sup> sed et laudabant eum coram me, et verba mea nuntiabant ei: et Tobias mittebat epistolas ut terreret me.

## 7

<sup>1</sup> Postquam autem ædificatus est murus, et posui valvas, et recensui janitores, et cantores, et

---

† **6:15** Mensis Eliud. BEDA, ubi supra. Qui secundum Hebræos sextus est, etc., usque ad et deinceps se in Dei et proximi dilectione in bonis operibus adornent. § **6:16** Universæ gentes. ID., ibid. Qui autem structores sanctæ civitatis terrere volebant, etc., usque ad et ab Ecclesia expulsi.

Levitas,<sup>\*</sup> <sup>2</sup> præcepi Hanani fratri meo, et Hananiæ principi domus de Jerusalem (ipse enim quasi vir verax et timens Deum plus ceteris videbatur), <sup>3</sup> et dixi eis: Non aperiantur portæ Jerusalem usque ad calorem solis. Cumque adhuc assisterent, clausæ portæ sunt, et oppilatae: et posui custodes de habitatoribus Jerusalem, singulos per vices suas, et unumquemque contra do-

---

\* **7:1** Postquam autem ædificatus est murus, etc. BEDA, in Esdr., lib. 3, cap. 24, tom. 2. Mystice: ubi Ecclesiæ murus collectis ad fidem novis populis vel correctis his qui erraverant ædificatus fuerit, mox ponendæ sunt valvæ regularis disciplinæ; ne diabolus, qui quasi leo rugiens circumlit, in ovile Dei possit irrumpere. Recensui janitores. ID., ibid. Janitores qui, scilicet, claves regni cœlorum perceperunt, ut dignos et humiles suscipiant; superbos vero et indignos ab ingressu supernæ civitatis arceant, dicendo: Non est tibi pars, neque sors in sermone hoc. Cor enim tuum non est rectum coram Deo Act. 8..

mum suam.<sup>†</sup> <sup>4</sup> Civitas autem erat lata nimis et grandis, et populus parvus in medio ejus, et non erant domus ædificatæ. <sup>5</sup> Deus autem dedit in corde meo, et congregavi optimates, et magistratus, et vulgus, ut recenserem eos: et inveni librum census eorum qui ascenderant primum, et inventum est scriptum in eo. <sup>6</sup> Isti filii provinciæ, qui ascenderunt de captivitate migrantium, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis, et reversi sunt in Jerusalem et in Judæam, unusquisque in civitatem suam. <sup>7</sup> Qui venerunt cum Zorobabel, Josue, Nehemias, Azarias, Raamias, Nahamani, Mardochæus, Belsam, Mespharath, Begoai, Nahum, Baana. Numerus virorum populi

---

<sup>†</sup> **7:3** Non aperiantur portæ... usque ad calorem solis, etc. ID., ibid., id est, toto tempore noctis, etc., usque ad unde: Et portæ ejus non claudentur per diem, nox non erit illic Apoc. 21.. Et posui custodes. ID., ibid. Custodes animarum non sunt de neophytis vel de plebe constituendi, sed de illis qui a certamine vitiorum Dei gratia liberati, jam mentem in Jerusalem, id est in visione tranquillæ pacis habent, quorum conversatio in coelis est. Aliis enim consummato cursu de hac luce subtractis, alii mox substituuntur, nec unquam desinit qui pacem Ecclesiæ excubando ambient propter timores nocturnos, secundum illud: Pro patribus tuis nati sunt tibi filii Psal. 44.. Hæc illi tempori typice conveniunt, quo seminato per apostolos longe lateque Dei verbo, totus orbis novum fidei germen accepit, neandum Ecclesiæ ædificatæ, sed tantum auditu verbi et sacramentis populi adhuc rudes erant imbuti. Ideo congregatis non solum optimatibus, sed et vulgo diligenter eorum numerum recensere curavit, ut perspecta omnium summa, discernere posset, qui in Jerusalem, qui in aliis civitatibus habitare deberent. Unumquemque contra domum. Sic enim custodia sanctæ Ecclesiæ rite perficitur, si quisque ita sollicitudinem omnium fidelium gerat, ut specialiter eis quibus Deo auctore prælatus est, curam diligentioris studii impendat.

Israël: <sup>8</sup> filii Pharos, duo millia centum septuaginta duo: <sup>9</sup> filii Saphatia, trecenti septuaginta duo: <sup>10</sup> filii Area, sexcenti quinquaginta duo: <sup>11</sup> filii Phathmoab filiorum Josue et Joab, duo millia octingenti decem et octo: <sup>12</sup> filii Ælam, mille ducenti quinquaginta quatuor: <sup>13</sup> filii Zethua, octingenti quadraginta quinque: <sup>14</sup> filii Zachai, septingenti sexaginta: <sup>15</sup> filii Bannui, sexcenti quadraginta octo: <sup>16</sup> filii Bebai, sexcenti viginti octo: <sup>17</sup> filii Azgad, duo millia trecenti viginti duo: <sup>18</sup> filii Adonicam, sexcenti sexaginta septem: <sup>19</sup> filii Beguai, duo millia sexaginta septem: <sup>20</sup> filii Adin, sexcenti quinquaginta quinque: <sup>21</sup> filii Ater, filii Hezeciæ, nonaginta octo: <sup>22</sup> filii Hasem, trecenti viginti octo: <sup>23</sup> filii Besai, trecenti viginti quatuor: <sup>24</sup> filii Hareph, centum duodecim: <sup>25</sup> filii Gabaon, nonaginta quinque: <sup>26</sup> filii Bethlehem et Netupha, centum octoginta octo. <sup>27</sup> Viri Anathoth, centum viginti octo. <sup>28</sup> Viri Bethazmoth, quadraginta duo. <sup>29</sup> Viri Cariathiarim, Cephira, et Beroth, septingenti quadraginta tres. <sup>30</sup> Viri Rama et Geba, sexcenti viginti unus. <sup>31</sup> Viri Machmas, centum viginti duo. <sup>32</sup> Viri Bethel et Hai, centum viginti tres. <sup>33</sup> Viri Nebo alterius, quinquaginta duo. <sup>34</sup> Viri Ælam alterius, mille ducenti quinquaginta quatuor. <sup>35</sup> Filii Harem, trecenti viginti. <sup>36</sup> Filii Jericho, trecenti quadraginta quinque. <sup>37</sup> Filii Lod Hadid et Ono, septingenti viginti unus. <sup>38</sup> Filii Senaa, tria millia nongenti triginta. <sup>39</sup> Sacerdotes: filii Idaia in domo Josue, nongenti septuaginta tres. <sup>40</sup> Filii Emmer, mille quinquaginta duo. <sup>41</sup> Filii Phashur, mille ducenti quadrag-

inta septem. <sup>42</sup> Filii Arem, mille decem et septem. Levitæ: <sup>43</sup> filii Josue et Cedmihel filiorum <sup>44</sup> Oduiæ, septuaginta quatuor. Cantores: <sup>45</sup> filii Asaph, centum quadraginta octo. <sup>46</sup> Janitores: filii Sellum, filii Ater, filii Telmon, filii Accub, filii Hatita, filii Sobai: centum triginta octo. <sup>47</sup> Nathinæi: filii Soha, filii Hasupha, filii Tebbaoth, <sup>48</sup> filii Ceros, filii Siaa, filii Phadon, filii Lebana, filii Hagaba, filii Selmai, <sup>49</sup> filii Hanan, filii Geddel, filii Gaher, <sup>50</sup> filii Raaia, filii Rasin, filii Necoda, <sup>51</sup> filii Gezem, filii Aza, filii Phasea, <sup>52</sup> filii Besai, filii Munim, filii Nephussim, <sup>53</sup> filii Bacbuc, filii Hacupha, filii Harhur, <sup>54</sup> filii Besloth, filii Mahida, filii Harsa, <sup>55</sup> filii Bercos, filii Sisara, filii Thema, <sup>56</sup> filii Nasia, filii Hatipha, <sup>57</sup> filii servorum Salomonis, filii Sothai, filii Sophereth, filii Pharida, <sup>58</sup> filii Jahala, filii Darcon, filii Jeddæl, <sup>59</sup> filii Saphatia, filii Hatil, filii Phochereth, qui erat ortus ex Sabaim filio Amon. <sup>60</sup> Omnes Nathinæi, et filii servorum Salomonis, trecenti nonaginta duo. <sup>61</sup> Hi sunt autem qui ascenderunt de Thelmela, Thelharsa, Cherub, Addon, et Emmer: et non potuerunt indicare dominum patrum suorum, et semen suum, utrum ex Israël essent, <sup>62</sup> filii Dalaia, filii Tobia, filii Necoda, sexcenti quadraginta duo. <sup>63</sup> Et de sacerdotibus, filii Habia, filii Accos, filii Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis uxorem, et vocatus est nomine eorum. <sup>64</sup> Hi quæsierunt scripturam suam in censu, et non invenerunt: et ejecti sunt de sacerdotio. <sup>65</sup> Dixitque Athersatha eis ut non manducarent de Sanctis sanctorum, donec staret sacerdos doctus et eruditus. <sup>66</sup> Omnis multitudo quasi vir unus quadraginta duo millia trecenti

sexaginta, ‡ 67 absque servis et ancillis eorum, qui erant septem millia trecenti triginta septem, et inter eos cantores et cantatrices, ducenti quadraginta quinque. 68 Equi eorum, septingenti triginta sex: muli eorum, ducenti quadraginta quinque: 69 cameli eorum, quadringenti triginta quinque: asini, sex millia septingenti viginti. 70 Nonnulli autem de principibus familiarum dederunt in opus. Athersatha dedit in thesaurum auri drachmas mille, phialas quinquaginta, tunicas sacerdotales quingentas triginta. 71 Et de principibus familiarum dederunt in thesaurum operis, auri drachmas viginti millia, et argenti mnas duo millia ducentas. 72 Et quod dedit reliquus populus, auri drachmas viginti millia, et argenti mnas duo millia, et tunicas sacerdotales sexaginta septem. 73 Habitaverunt autem sacerdotes, et Levitæ, et janitores, et cantores, et reliquum vulgus, et Nathinæi, et omnis Israël, in civitatibus suis.

## 8

1 Et venerat mensis septimus: filii autem Israël erant in civitatibus suis. Congregatusque est omnis populus quasi vir unus ad plateam quæ est ante portam aquarum: et dixerunt Esdræ scribæ ut afferret librum legis Moysi, quam

---

‡ 7:66 Omnis multitudo quasi vir unus. JOSE. Populum etiam agros coletem decimas fructuum ad Hierosolymam jussit offerre, ut habentes sacerdotes et levitæ alimenta, perpetua religionis jura non derelinquerent. Et hi quidem libenter sequebantur decreta Nehemiæ. Civitatem vero exinde contigit hominum multitudine compleri. Multa etiam talia bona et laudibus digna cum summa fecisset magnificentia Nehemias, ad senectutem perveniens defunctus est.

præceperat Dominus Israëli.\* <sup>2</sup> Attulit ergo Esdras sacerdos legem coram multitudine virorum et mulierum, cunctisque qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi. <sup>3</sup> Et legit in eo aperte in platea quæ erat ante portam aquarum, de mane usque ad medium diem, in conspectu virorum et mulierum, et sapientium: et aures omnis populi erant erectæ ad librum. <sup>4</sup> Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum: et steterunt juxta eum Mathathias, et Semeia, et Ania, et Uria, et Helcia, et Maasia, ad dexteram ejus: et ad sinistram, Phadaia, Misaël, et Melchia, et Hasum, et Hasbadana, Zacharia,

---

\* **8:1** Et venerat mensis septimus. BEDA, in Esdr, lib. 3, cap. 26, tom. 2. Qui non longe aberat. Cum enim murus esset vicesima quinta die sexti mensis completus quinque tantum dies ad exordium septimi mensis supererant, qui a prima die usque ad vicesimam secundam totus legitimis cæremoniis consecratus est, quibus ita rite celebratis, deinde ad disponendos urbis mansores cum principibus et plebe reversus est. Congregatusque omnis populus quasi vir unus ad plateam quæ, etc. BED., ibid. Notanda devotio populi et concordia, etc., usque ad quarum cantu populus inter orationes et hostias ardentius ad legis memoriam excitaretur. Mystice quoque ædificata civitate oportet sequi lectionem divinam, et tubas sonare crebriores, ut populus, sacramentis cœlestibus initiatus etiam sacris eloquiis ex tempore solertia qualiter vivere debeat, instruatur. Ante portam aquarum. ID., ibid. Portam aquarum reor dici in atrio sacerdotum, etc., usque ad bene ergo ante portam aquarum collectus est populus tanquam per antisitem suum fluentis Scripturarum spiritualiter potandus.

et Mosollam.<sup>†</sup> <sup>5</sup> Et aperuit Esdras librum coram omni populo: super universum quippe populum eminebat: et cum aperuisset eum, stetit omnis populus. <sup>6</sup> Et benedixit Esdras Domino Deo magno: et respondit omnis populus: Amen, amen, elevans manus suas: et incurvati sunt, et adoraverunt Deum proni in terram. <sup>7</sup> Porro Josue, et Bani, et Serebia, Jamin, Accub, Septhai, Odia, Maasia, Celita, Azarias, Jozabed, Hanan, Phalaia, Levitæ, silentium faciebant in populo ad audiendum legem: populus autem stabat in gradu suo. <sup>8</sup> Et legerunt in libro legis Dei distinete, et aperte ad intelligendum: et intellexerunt cum legeretur. <sup>9</sup> Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha) et Esdras sacerdos et scriba, et Levitæ interpretantes universo populo: Dies sanctificatus est Domino Deo nostro: nolite lugere, et nolite flere. Flebat enim omnis populus cum audiret verba legis. <sup>10</sup> Et dixit eis: Ite, comedite pinguia, et bibite mulsum, et mittite partes his qui non præparaverunt sibi, quia sanctus dies Domini est: et nolite contristari: gaudium etenim Domini est fortitudo nos-

---

<sup>†</sup> **8:4** Stetit autem Esdras scriba super gradum. ID., ibid. Videtur meminisse, etc., usque ad ut timidus et erubescens quæ ipse non fecit, aliis faciendo prædictit, etc. Cum præsules quantum honore, tantum opere subditos antecellunt, ipsi eorum exemplis incitati vitæ suæ gradum exsequuntur devoti, et ab eis pie admoniti pro peccatis vel desiderio patriæ cœlestis lacrymas profundere delectantur. Unde bene subditur, flebat enim omnis populus, cum audiret verba legis, etc.

tra.‡ 11 Levitæ autem silentium faciebant in omni populo, dicentes: Tacete, quia dies sanctus est, et nolite dolere. § 12 Abiit itaque omnis populus ut comederet, et biberet, et mitteret partes, et faceret lætitiam magnam: quia intellexerant verba quæ docuerat eos. 13 Et in die secundo congregati sunt principes familiarum universi populi, sacerdotes et Levitæ, ad Esdram scribam, ut interpretaretur eis verba legis. 14 Et invenerunt scriptum in lege præcepisse Dominum in manu Moysi ut habitent filii Israël in tabernaculis in die solemni, mense septimo:\*\* 15 et ut prædicent, et divulgent vocem in universis urbibus suis, et in Jerusalem, dicentes: Egredimini in montem, et afferte frondes olivæ, et frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, et ramos palmarum, et frondes ligni nemorosi,

‡ 8:10 Ite et comedite, etc. ID., ibid. Ut infirmiores conscientias proximorum exemplo piæ actionis, et suavitate devotæ admonitionis confortemus, præcipit, quatenus sicut adipe et pinguedine repleantur, aliisque exultationis laudent nomen Domini. Juxta litteram quoque cum in festis diebus post orationem lectionem et psalmorum studia completa carnem reficimus, pauperum et peregrinorum meminisse debemus. Nolite contristari. Doctores qui mentes auditorum sacris lectionibus ad lacrymas excitant, et iidem consolantur, dum gaudia secutura promittunt. § 8:11 Quia dies sanctus est. Dum scilicet verbis Domini audiendis et implendis operam damus, in quo die quamvis exterius adversa patientes, nos in spe gaudere oportet. Unde: Quasi tristes, semper autem gaudentes II Cor. 6., etc. \*\* 8:14 Et invenerunt, etc. BEDA, ubi supra. Hæc in Levitico plenius scripta sunt, etc., usque ad meminisse nos oportet, quia incolæ sumus in terra, et peregrim sicut patres nostri Psal. 38..

ut fiant tabernacula, sicut scriptum est.†† <sup>16</sup> Et egressus est populus, et attulerunt. Feceruntque sibi tabernacula unusquisque in domate suo: et in atriis suis, et in atriis domus Dei, et in platea portæ aquarum, et in platea portæ Ephraim.‡‡ <sup>17</sup> Fecit ergo universa ecclesia eorum qui redierant de captivitate, tabernacula, et habitaverunt in tabernaculis: non enim fecerant a diebus Josue filii Nun taliter filii Israël usque ad diem illum. Et fuit lætitia magna nimis. <sup>18</sup> Legit autem in libro legis Dei per dies singulos, a die primo usque ad diem novissimum. Et fecerunt solemnitatem septem diebus, et in die octavo collectam juxta ritum. §§

†† **8:15** Ligni pulcherrimi, etc. ID., ibid. Quod scilicet Hebræi vocant cedrum. Frondes vero myrti et obumbraculum sibi affert qui dicere potest, Christi bonus odor sumus Deo in omni loco II Cor. 2.. Frondes ligni pulcherrimi et frondes myrti, etc. Fructus charitatis quæ inter omnes virtutes pulcherrima, per quam et Christus lignum crucis pro nostra salute ascendit, cuius passionem dum quantam possumus, imitamus, frondibus profecto ligni pulcherrimi et myrti in mortificationem vitiorum et libidinum protegimus. Magi enim Domino myrrham offerentes docuerunt, quia qui Christ sunt, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigunt. Ramos palmarum. ID., ibid. Ramos palmarum afferimus, quod est manus victricis ornatus, cum mentem vitiorum victricem gerimus, et invictam cunctis hostibus, ut stenus ante thronum in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus nostris Apoc. 7..    ‡‡ **8:16** Unusquisque in domate. ID., ibid. In domate suo, etc., usque ad et in majoribus bonæ actionis frugibus abundare mereamur.    §§ **8:18** Septem diebus. ID., ibid. Scenopegia septem diebus agebatur, etc., usque ad in conspectu Dei congregatus, et nunquam segregandus exsultaverit.

## 9

<sup>1</sup> In die autem vigesimo quarto mensis hujus, convenerunt filii Israël in jejunio et in saccis, et humus super eos. \* <sup>2</sup> Et separatum est semen filiorum Israël ab omni filio alienigena: et steterunt, et confitebantur peccata sua, et iniquitates patrum suorum. <sup>3</sup> Et consurrexerunt ad standum: et legerunt in volumine legis Domini Dei sui, quater in die, et quater confitebantur, et adorabant Dominum Deum suum. <sup>4</sup> Surrexerunt autem super gradum Levitarum Josue, et Bani, et Cedmihel, Sabania, Bonni, Sarebias, Bani, et Chanani: et clamaverunt voce magna ad Dominum Deum suum. <sup>5</sup> Et dixerunt Levitæ Josue, et Cedmihel, Bonni, Hasebnia, Serebia, Odaia, Sebnia, Phathathia: Surgite, benedicite Domino Deo vestro ab æterno usque in æternum: et benedicant nomini gloriæ tuæ excenso in omni benedictione et laude. <sup>6</sup> Tu ipse, Domine, solus, tu fecisti cælum, et cælum cælorum, et omnem exercitum eorum: terram, et universa quæ in ea sunt: maria, et omnia quæ in eis sunt: et tu vivificas omnia hæc, et exercitus cæli te adorat. <sup>7</sup> Tu ipse, Domine Deus, qui elegisti Abram, et eduxisti eum de igne Chaldæorum, et posuisti nomen ejus Abraham: <sup>8</sup> et invenisti cor ejus fidele coram te, et percussisti cum eo fœdus ut dares ei terram Chananæi, Hethæi, et Amorrhæi,

---

\* **9:1** In die autem, etc. BEDA, ubi supra, cap. 28. Notanda correcti populi devotio, etc., usque ad cum a cæteris laboribus cessatur divinis lectionibus aures liberius commodantur. Et dixit Esdras. Usque ad finem orationis vel confessionis ejus, quod supra dictum est, quia confitebantur peccata sua, et peccata patrum suorum, plenius Esdra deprecante qualiter factum sit, ostenditur.

et Pherezæi, et Jebusæi, et Gergesæi, ut dares semini ejus: et implesti verba tua, quoniam justus es. <sup>9</sup> Et vidisti afflictionem patrum nostrorum in Ægypto, clamoremque eorum audisti super mare Rubrum. <sup>10</sup> Et dedisti signa atque portenta in Pharaone, et in universis servis ejus, et in omni populo terræ illius: cognovisti enim quia superbe egerant contra eos: et fecisti tibi nomen, sicut et in hac die. <sup>11</sup> Et mare divisisti ante eos, et transierunt per medium maris in sicco: persecutores autem eorum projecisti in profundum, quasi lapidem in aquas validas. <sup>12</sup> Et in columna nubis ductor eorum fuisti per diem, et in columna ignis per noctem, ut appareret eis via per quam ingrediebantur. <sup>13</sup> Ad montem quoque Sinai descendisti, et locutus es cum eis de cælo, et dedisti eis judicia recta, et legem veritatis, cæremonias, et præcepta bona: <sup>14</sup> et sabbatum sanctificatum tuum ostendisti eis: et mandata, et cæremonias, et legem præcepisti eis in manu Moysi servi tui. <sup>15</sup> Panem quoque de cælo dedisti eis in fame eorum, et aquam de petra eduxisti eis sitiensibus, et dixisti eis ut ingrederentur et possiderent terram, super quam levasti manum tuam ut traderes eis. <sup>16</sup> Ipsi vero et patres nostri superbe egerunt, et induraverunt cervices suas, et non audierunt mandata tua. <sup>17</sup> Et noluerunt audire, et non sunt recordati mirabilium tuorum quæ feceras eis. Et induraverunt cervices suas, et dederunt caput ut converterentur ad servitutem suam, quasi per contentionem. Tu autem, Deus propitius, clemens, et misericors, longanimis, et multæ miserationis, non dereliquisti eos, <sup>18</sup> et quidem cum

fecissent sibi vitulum conflatilem, et dixissent:  
Iste est deus tuus, qui eduxit te de Ægypto: feceruntque blasphemias magnas: <sup>19</sup> tu autem in misericordiis tuis multis non dimisisti eos in deserto: columna nubis non recessit ab eis per diem ut duceret eos in viam, et columna ignis per noctem ut ostenderet eis iter per quod ingrederentur.  
<sup>20</sup> Et spiritum tuum bonum dedisti, qui doceret eos: et manna tuum non prohibuisti ab ore eorum, et aquam dedisti eis in siti. <sup>21</sup> Quadraginta annis pavisti eos in deserto, nihilque eis defuit: vestimenta eorum non inveteraverunt, et pedes eorum non sunt attriti. <sup>22</sup> Et dedisti eis regna, et populos, et partitus es eis sortes: et possederunt terram Sehon, et terram regis Hesebon, et terram Og regis Basan. <sup>23</sup> Et multiplicasti filios eorum sicut stellas cæli, et adduxisti eos ad terram de qua dixeras patribus eorum ut ingrederentur et possiderent. <sup>24</sup> Et venerunt filii, et possederunt terram, et humiliasti coram eis habitatores terræ Chananæos, et dedisti eos in manu eorum, et reges eorum, et populos terræ, ut facerent eis sicut placebant illis. <sup>25</sup> Ceperunt itaque urbes munitas et humum pingue, et possederunt domos plenas cunctis bonis: cisternas ab aliis fabricatas, vineas, et oliveta, et ligna pomifera multa: et comedenterunt, et saturati sunt, et impinguati sunt, et abundaverunt deliciis in bonitate tua magna.  
<sup>26</sup> Provocaverunt autem te ad iracundiam, et recesserunt a te, et projecerunt legem tuam post terga sua: et prophetas tuos occiderunt, qui contestabant eos ut reverterentur ad te: feceruntque blasphemias grandes. <sup>27</sup> Et dedisti eos in

manu hostium suorum, et afflixerunt eos. Et in tempore tribulationis suæ clamaverunt ad te, et tu de cælo audisti, et secundum miserations tuas multas dedisti eis salvatores, qui salvarent eos de manu hostium suorum. <sup>28</sup> Cumque requievissent, reversi sunt ut facerent malum in conspectu tuo, et dereliquisti eos in manu inimicorum suorum, et possederunt eos. Conversique sunt, et clamaverunt ad te: tu autem de cælo exaudisti, et liberasti eos in misericordiis tuis, multis temporibus. <sup>29</sup> Et contestatus es eos ut reverterentur ad legem tuam. Ipsi vero superbe egerunt, et non audierunt mandata tua, et in judiciis tuis peccaverunt, quæ faciet homo, et vivet in eis: et dederunt humerum recedentem, et cervicem suam induraverunt, nec audierunt. <sup>30</sup> Et protraxisti super eos annos multos, et contestatus es eos in spiritu tuo per manum prophetarum tuorum: et non audierunt, et tradidisti eos in manu populorum terrarum. <sup>31</sup> In misericordiis autem tuis plurimis non fecisti eos in consumptionem, nec dereliquisti eos: quoniam Deus miseratum et clemens es tu. <sup>32</sup> Nunc itaque Deus noster magne, fortis et terribilis, custodiens pactum et misericordiam, ne avertas a facie tua omnem laborem, qui invenit nos, reges nostros, et principes nostros, et sacerdotes nostros, et prophetas nostros, et patres nostros, et omnem populum tuum a diebus regis Assur usque in diem hanc. <sup>33</sup> Et tu justus es in omnibus quæ venerunt super nos: quia veritatem fecisti, nos autem impie egimus. <sup>34</sup> Reges nostri, principes nostri, sacerdotes nostri et patres nostri non fecerunt legem tuam, et non attenderunt

mandata tua, et testimonia tua quæ testificatus es in eis. <sup>35</sup> Et ipsi in regnis suis, et in bonitate tua multa quam dederas eis, et in terra latissima et pingui quam tradideras in conspectu eorum, non servierunt tibi, nec reversi sunt a studiis suis pessimis. <sup>36</sup> Ecce nos ipsi hodie servi sumus: et terra quam dedisti patribus nostris ut comedenter panem ejus, et quæ bona sunt ejus, et nos ipsi servi sumus in ea. <sup>37</sup> Et fruges ejus multiplicantur regibus quos posuisti super nos propter peccata nostra: et corporibus nostris dominantur, et iumentis nostris secundum voluntatem suam: et in tribulatione magna sumus. <sup>38</sup> Super omnibus ergo his nos ipsi percutimus fœdus, et scribimus: et signant principes nostri, Levitæ nostri, et sacerdotes nostri.†

## 10

<sup>1</sup> Signatores autem fuerunt Nehemias, Athersatha filius Hachelai, et Sedecias,\* <sup>2</sup> Saraias, Azarias, Jeremias, <sup>3</sup> Pheshur, Amarias, Melchias,

---

† **9:38** Super omnibus ergo his. BEDA, in Esdr., lib. 3, tom. 2. Ostendit quanta devotione omnes personæ eorum novum post festa scenopegiæ conventum fecerint, ut scilicet tota se intentione a scelerum contagiosis expurgatos divino fœderi conjungerent, et fœderis sancti conditionem sermone firmarent et scripto; et sic ab impiorum consortio separati, securiores replerent opus, quod dudum cœperant, id est, ut congruos urbis cives de numero impiorum instituerent.

\* **10:1** Signatores, etc. Alia translatio: Nehemias qui Athersata fertur, erat enim dionymos unde singulariter subjungitur filius Achelai, quod superius apertius dicitur: Dixit autem Nehemias, et ipse est Athersata II Esd. 7.. ID., ibid. Nobis quoque sabbatum spirituale semper agendum est, etc., usque ad primo die a malis emundare necesse est, deinde bonis actibus adornari.

4 Hattus, Sebenia, Melluch, 5 Harem, Merimuth,  
 Obdias, 6 Daniel, Genthon, Baruch, 7 Mosollam,  
 Abia, Miamin, 8 Maazia, Belgai, Semeia: hi sacer-  
 dotes. 9 Porro Levitæ, Josue filius Azaniæ, Bennui  
 de filiis Henadad, Cedmihel, 10 et fratres eorum,  
 Sebenia, Odaia, Celita, Phalaia, Hanan, 11 Micha,  
 Rohob, Hasebia, 12 Zachur, Serebia, Sabania,  
 13 Odaia, Bani, Baninu. 14 Capita populi, Pharos,  
 Phahathmoab, Ælam, Zethu, Bani, 15 Bonni, Az-  
 gad, Bebai, 16 Adonia, Begoai, Adin, 17 Ater, Heze-  
 cia, Azur, 18 Odaia, Hasum, Besai, 19 Hareph,  
 Anathoth, Nebai, 20 Megphias, Mosollam, Hazir,  
 21 Mesizabel, Sadoc, Jeddua, 22 Pheltia, Hanan,  
 Anaia, 23 Osee, Hanania, Hasub, 24 Alohes, Phalea,  
 Sobec, 25 Rehum, Hasebna, Maasia, 26 Echaia,  
 Hanan, Anan, 27 Melluch, Haran, Baana. 28 Et  
 reliqui de populo, sacerdotes, Levitæ, janitores, et  
 cantores, Nathinæi, et omnes qui se separaverunt  
 de populis terrarum ad legem Dei, uxores eorum,  
 filii eorum, et filiæ eorum, 29 omnes qui poterant  
 sapere spondentes pro fratribus suis, optimates  
 eorum, et qui veniebant ad pollicendum et juran-  
 dum ut ambularent in lege Dei, quam dederat in  
 manu Moysi servi Dei: ut facerent et custodirent  
 universa mandata Domini Dei nostri, et judicia  
 ejus et cæremonias ejus: 30 et ut non daremus  
 filias nostras populo terræ, et filias eorum non  
 acciperemus filiis nostris. 31 Populi quoque terræ,  
 qui important venalia, et omnia ad usum, per  
 diem sabbati ut vendant, non accipiemus ab eis in  
 sabbato et in die sanctificato. Et dimittemus an-  
 num septimum, et exactionem universæ manus.  
 32 Et statuemus super nos præcepta, ut demus ter-

tiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri,<sup>33</sup> ad panes propositionis, et ad sacrificium sempiternum, et in holocaustum sempiternum in sabbatis, in calendis, in solemnitatibus, et in sanctificatis, et pro peccato: ut exoretur pro Israël, et in omnem usum domus Dei nostri.<sup>34</sup> Sortes ergo misimus super oblationem lignorum inter sacerdotes, et Levitas, et populum, ut inferrentur in domum Dei nostri per domos patrum nostrorum, per tempora, a temporibus anni usque ad annum: ut arderent super altare Domini Dei nostri, sicut scriptum est in lege Moysi:<sup>35</sup> et ut afferremus primogenita terræ nostræ, et primitiva universi fructus omnis ligni, ab anno in annum, in domo Domini:<sup>36</sup> et primitiva filiorum nostrorum et pecorum nostrorum, sicut scriptum est in lege, et primitiva boum nostrorum et ovium nostrarum, ut offerrentur in domo Dei nostri, sacerdotibus qui ministrant in domo Dei nostri:<sup>37</sup> et primitias ciborum nostrorum, et libaminum nostrorum, et poma omnis ligni, vindemiæ quoque et olei, afferemus sacerdotibus ad gazophylacium Dei nostri, et decimam partem terræ nostræ Levitis. Ipsi Levitæ decimas accipient ex omnibus civitatibus operum nostrorum.<sup>38</sup> Erit autem sacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum, et Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri ad gazophylacium in domum thesauri.<sup>39</sup> Ad gazophylacium enim deportabunt filii Israël, et filii Levi, primitias frumenti, vini, et olei: et ibi erunt vasa sanctificata, et sacerdotes, et cantores, et janitores, et ministri: et non dimittemus domum Dei nostri.

**11**

<sup>1</sup> Habitaverunt autem principes populi in Jerusalem: reliqua vero plebs misit sortem, ut tollerent unam partem de decem qui habitaturi essent in Jerusalem civitate sancta, novem vero partes in civitatibus.\* <sup>2</sup> Benedixit autem populus omnibus viris qui se sponte obtulerant ut habitarent in Jerusalem. <sup>3</sup> Hi sunt itaque principes provinciæ qui habitaverunt in Jerusalem, et in civitatibus Juda. Habitavit autem unusquisque in possessione sua, in urbibus suis, Israël, sacerdotes, Levitæ, Nathinæi, et filii servorum Salomonis.† <sup>4</sup> Et in Jerusalem habitaverunt de filiis Juda, et de filiis Benjamin: de filiis Juda, Athaias filius Aziam, filii Zachariæ, filii Amariæ, filii Saphatiæ, filii Melaleel: de filiis Phares, <sup>5</sup> Maasia filius Baruch, filius Cholhoza, filius Hazia, filius Adaia, filius Jojarib, filius Zachariæ, filius Silonitis: <sup>6</sup> omnes hi filii Phares, qui habitaverunt in Jerusalem, quadringenti sexaginta octo viri fortes. <sup>7</sup> Hi sunt autem filii Benjamin: Sellum filius Mosollam, filius Joëd, filius Phadaia, filius Colaia, filius Masia, filius Etheel, filius Isaia, <sup>8</sup> et post eum Gebbai, Sellai, nongenti viginti octo, <sup>9</sup> et Joël filius Zechri præpositus eorum, et Judas filius Senua super

---

\* **11:1** Habitaverunt autem. BEDA, in Esdr, lib. 3, tom. 2. Nunc completa est dispositio, etc., usque ad sed occulti judicis et largitoris munere percipiunt. † **11:3** Et in Jerusalem. ID., ibid. His verbis ostenditur, etc., usque ad nam sequitur: De filiis Juda habitaverunt in Cariatharbe II Esd. 11.. ID., ibid. Judas interpretatur confitens vel confessio, etc., usque ad cum eorum qui sunt in agro unus assumetur, et alter relinquetur.

civitatem secundus. <sup>10</sup> Et de sacerdotibus, Idaia filius Joarib, Jachin, <sup>11</sup> Saraia filius Helciæ, filius Mosollam, filius Sadoc, filius Meraioth, filius Achitob princeps domus Dei, <sup>12</sup> et fratres eorum facientes opera templi: octingenti viginti duo. Et Adaia filius Jeroham, filius Phelelia, filius Amsi, filius Zachariæ, filius Pheshur, filius Melchiæ, <sup>13</sup> et fratres ejus principes patrum: ducenti quadraginta duo. Et Amassai filius Azreel, filius Ahazi, filius Mosollamoth, filius Emmer, <sup>14</sup> et fratres eorum potentes nimis: centum viginti octo, et præpositus eorum Zabdiel filius potentium. <sup>15</sup> Et de Levitis, Semeia filius Hasub, filius Azaricam, filius Hasabia, filius Boni, <sup>16</sup> et Sabathai et Jozabed, super omnia opera quæ erant forinsecus in domo Dei, a principibus Levitarum. <sup>17</sup> Et Mathania filius Micha, filius Zebedei, filius Asaph, princeps ad laudandum et ad confitendum in oratione, et Becbecia secundus de fratribus ejus, et Abda filius Samua, filius Galal, filius Idithun: <sup>18</sup> omnes Levitæ in civitate sancta ducenti octoginta quatuor. <sup>19</sup> Et janitores, Accub, Telmon, et fratres eorum, qui custodiebant ostia: centum septuaginta duo. <sup>20</sup> Et reliqui ex Israël sacerdotes et Levitæ in universis civitatibus Juda, unusquisque in possessione sua. <sup>21</sup> Et Nathinæi, qui habitabant in Ophel, et Siahæ, et Gaspha de Nathinæis. <sup>22</sup> Et episcopus Levitarum in Jerusalem, Azzi filius Bani, filius Hasabiæ, filius Mathaniæ, filius Michæ. De filiis Asaph, cantores in ministerio domus Dei. <sup>23</sup> Præceptum quippe regis super eos erat, et ordo in cantoribus per dies singulos, <sup>24</sup> et Phathahia filius Mesezebel, de filiis

Zara filii Juda in manu regis, juxta omne verbum populi, <sup>25</sup> et in domibus per omnes regiones eorum. De filiis Juda habitaverunt in Cariatharbe et in filiabus ejus: et in Dibon, et in filiabus ejus: et in Cabseel, et in viculis ejus: <sup>26</sup> et in Jesue, et in Molada, et in Bethphaleth, <sup>27</sup> et in Hassersual, et in Bersabee, et in filiabus ejus, <sup>28</sup> et in Siceleg, et in Mochona, et in filiabus ejus, <sup>29</sup> et in Remmon, et in Saraa, et in Jerimuth, <sup>30</sup> Zanoa, Odollam, et in villis earum, Lachis et regionibus ejus, et Azeca, et filiabus ejus. Et manserunt in Bersabee usque ad vallem Ennom. <sup>31</sup> Filii autem Benjamin, a Geba, Mechmas, et Hai, et Bethel, et filiabus ejus <sup>32</sup> Anathoth, Nob, Anania, <sup>33</sup> Asor, Rama, Gethaim, <sup>34</sup> Hadid, Seboim, et Neballat, Lod, <sup>35</sup> et Ono valle artificum. <sup>36</sup> Et de Levitis portiones Judæ et Benjamin.

## 12

<sup>1</sup> Hi sunt autem sacerdotes et Levitæ, qui ascenderunt cum Zorobabel filio Salathiel, et Iosue: Saraia, Jeremias, Esdras,\* <sup>2</sup> Amaria, Melluch, Hattus, <sup>3</sup> Sebenias, Rheum, Merimuth, <sup>4</sup> Addo, Genthon, Abia, <sup>5</sup> Miamin, Madia, Belga, <sup>6</sup> Semeia, et Jojarib, Idaia, Sellum, Amoc, Helcias, <sup>7</sup> Idaia.

---

\* **12:1** Hi sunt autem, etc. BEDA, ubi supra. Hic principes sacerdotum una cum fratribus suis, etc., usque ad ideoque illum superstite adhuc Nehemia nasci potuisse. BED., ibid. Descripta est successio principum sacerdotum et levitarum, etc., usque ad amica provisione restaurant, et debito honore exaltant. ID., ibid. Jamdudum aëdificata erat civitas, etc., usque ad tunc in re ipsa fruentium divina visione beatorum hominum in corporibus spiritualibus inter angelica agmina.

Isti principes sacerdotum, et fratres eorum in diebus Josue. <sup>8</sup> Porro Levitæ, Jesua, Bennui, Cedmihel, Sarebia, Juda, Mathanias, super hymnos ipsi et fratres eorum: <sup>9</sup> et Becbecia atque Hanni, et fratres eorum, unusquisque in officio suo. <sup>10</sup> Josue autem genuit Joacim, et Joacim genuit Eliasib, et Eliasib genuit Jojada, <sup>11</sup> et Jojada genuit Jonathan, et Jonathan genuit Jeddoa. <sup>12</sup> In diebus autem Joacim erant sacerdotes et principes familiarum: Saraiæ, Maraia: Jeremiæ, Hanania: <sup>13</sup> Esdræ, Mosollam: Amariæ, Johanan: <sup>14</sup> Milicho, Jonathan: Sebeniæ, Joseph: <sup>15</sup> Haram, Edna: Maraioth, Helci: <sup>16</sup> Adaiæ, Zacharia: Genthon, Mosollam: <sup>17</sup> Abiæ, Zechri: Miamin et Moadiæ, Phelti: <sup>18</sup> Belgæ, Sammua: Semaiæ, Jonathan: <sup>19</sup> Jojarib, Mathanai: Jodaiæ, Azzi: <sup>20</sup> Sellai, Celai: Amoc, Heber: <sup>21</sup> Helciæ, Hasebia: Idaïæ, Nathanaël. <sup>22</sup> Levitæ in diebus Eliasib, et Jojada, et Johanan, et Jeddoa, scripti principes familiarum, et sacerdotes in regno Darii Persæ. <sup>23</sup> Filii Levi principes familiarum, scripti in libro verborum dierum, et usque ad dies Jonathan, filii Eliasib. <sup>24</sup> Et principes Levitarum, Hasebia, Serebia, et Josue filius Cedmihel: et fratres eorum per vices suas, ut laudarent et confiterent æque per ordinem. <sup>25</sup> Mathania, et Becbecia, Obedia, Mosollam, Telmon, Accub, custodes portarum et vestibulorum ante portas. <sup>26</sup> Hi in diebus Joacim filii Josue, filii Josedec, et in diebus Nehemiæ ducis, et Esdræ sacerdotis scribæque. <sup>27</sup> In dedicatione autem muri Jerusalem, requisiérunt Levitas de omnibus locis suis ut adduc-

erent eos in Jerusalem, et facerent dedicationem et lætitiam in actione gratiarum, et cantico, et in cymbalis, psalteriis, et citharis.<sup>†</sup> **28** Congregati sunt autem filii cantorum de campestribus circa Jerusalem, et de villis Nethuphathi,<sup>‡</sup> **29** et de domo Galgal, et de regionibus Geba et Azmaveth: quoniam villas ædificaverunt sibi cantores in circuitu Jerusalem. **30** Et mundati sunt sacerdotes et Levitæ, et mundaverunt populum, et portas, et murum.<sup>§</sup> **31** Ascendere autem feci principes Juda super murum, et statui duos magnos choros laudantium. Et ierunt ad dexteram super murum ad portam sterquilinii.<sup>\*\*</sup> **32** Et ivit post eos Osa-

---

<sup>†</sup> **12:27** Et in cymbalis, etc. ID., ibid. Cymbala, psalteria et citharæ, etc., usque ad et corda proximorum ad amorem ejus accendent, etc. <sup>‡</sup> **12:28** Filii cantorum. ID., ibid. Imitatores scilicet eorum, etc., usque ad et in ipso tempore dedicationis, id est, perpetuæ remunerationis ibidem pariter uniuntur. <sup>§</sup> **12:30** Et mundati. ID., ibid. Justus omnino ordo, etc., usque ad et vinctis manibus et pedibus in tenebras extiores mittatur. <sup>\*\*</sup> **12:31** Principes Juda, etc., id est confessionis vel laudis, perfectiores sunt Ecclesiæ doctores, qui in dedicatione civitatis super murum ascendunt: quia in tempore tribulationis generalem Ecclesiæ conversationem altius vivendo transcendisse probantur. De his enim dicitur: Super muros tuos Jerusalem constitui custodes Isai. 62., etc. Jure ergo qui nunc muris Ecclesiæ tanquam vigiles præsunt, tunc quoque eisdem gloria remunerationis præeminebunt. Et statui duos choros. Vel spurcitiam peccatorum in præsenti de Ecclesia correctius vivendo, et errantes corrigendo expurgent, et in futuro qui corrigi noluerunt, judiciaria potestate de civitate Domini, id est ingressu patriæ coelestis, expellant. Vel chori laudantium ad dexteram eunt super murum ad portam sterquilinii ascendunt, dum eos dignos laude prædicant qui omnem immunditiam de Ecclesia prædicando, arguendo, excommunicando, eliminant.

ias, et media pars principum Juda, <sup>33</sup> et Azarias, Esdras, et Mosollam, Judas, et Benjamin, et Semeia, et Jeremias. <sup>34</sup> Et de filiis sacerdotum in tubis, Zacharias filius Jonathan, filius Semeiae, filius Mathaniæ, filius Michaiæ, filius Zechur, filius Asaph,†† <sup>35</sup> et fratres ejus Semeia, et Azareel, Malalai, Galalai, Maai, Nathanaël, et Judas, et Hanani, in vasis cantici David viri Dei: et Esdras scriba ante eos in porta fontis.‡‡ <sup>36</sup> Et contra eos ascenderunt in gradibus civitatis David in ascensu muri super domum David, et usque ad portam aquarum ad orientem. §§ <sup>37</sup> Et chorus secundus gratias referentium ibat ex adverso, et ego post eum, et media pars populi super murum, et super turrim furnorum, et usque ad murum latissimum,\*\*\* <sup>38</sup> et super portam Ephraim, et

---

†† **12:34** Et de filiis sacerdotum, etc. In hac vita filii sacerdotum in dedicatione civitatis Dei tubis canunt, qui ad memoriam patriæ cœlestis corda auditorum prædicando succendunt. ‡‡ **12:35** In vasis cantici David. Quia non suo sensu vel desideriis innituntur, sed patrum et prophetarum vitam et doctrinam per omnia sequentes verbo prædicationis insistunt. Et Esdras scriba. Quia in omnibus quæ agunt verba sanctæ Scripturæ præ oculis habent, quibus ducibus ad ingressum vitae æternæ perveniant, ut inebrientur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis ejus, apud quem est fons vitae, etc. §§ **12:36** Et contra eos ascenderunt in gradibus. BED., ibid. Cum civitas ædificaretur, etc., usque ad sanctam Trinitatem socia exsultatione concelebrant. Super domum David. ID., ibid. Ascendunt filii sacerdotum, etc., usque ad ortumque solis justitiæ sine occasu videre merentur. \*\*\* **12:37** Et super turrim furnorum. ID., ibid. Longum est de singulis portis vel turribus specialiter disserere, etc., usque ad circumspecta semper est necesse cautela et sollicitudine muniri.

super portam antiquam, et super portam piscium et turrim Hananeel, et turrim Emath, et usque ad portam gregis: et steterunt in porta custodiæ,<sup>39</sup> steteruntque duo chorii laudantium in domo Dei, et ego, et dimidia pars magistratum mecum.<sup>†††</sup> <sup>40</sup> Et sacerdotes, Eliachim, Maasia, Miamin, Michea, Elioënai, Zacharia, Hanania in tubis,<sup>41</sup> et Maasia, et Semeia, et Eleazar, et Azzi, et Johanan, et Melchia, et Ælam, et Ezer. Et clare cecinerunt cantores, et Jezraia præpositus:<sup>†††</sup> <sup>42</sup> et immolaverunt in die illa victimas magnas, et lætati sunt: Deus enim læticaverat eos lætitia magna: sed et uxores eorum et liberi gavisi sunt, et audita est lætitia Jerusalem procul.<sup>§§§</sup> <sup>43</sup> Recensuerunt quoque in die illa viros super gazophylacia thesauri ad libamina, et ad primicias, et ad decimas, ut introferrent per eos principes civitatis in decore gratiarum actionis,

---

<sup>†††</sup> **12:39** Steteruntque duo chorii. ID., ibid. Perambulatis moenibus et portis civitatis, etc., usque ad in cuius implenda voluntate infatigabili mente permaneo. <sup>†††</sup> **12:41** Et clare cecinerunt. Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis. Vota mea Domino reddam in atriis domus Domini, in conspectu omnis populi in medio tui, Jerusalem Psal. 115.. Hoc fit cum in cœlesti patria omnium sanctorum multitudine congregata, eas pro quibus in præsenti gemimus quasque gratiarum actione quotidiano desiderio sitimus, laudes efferimus. <sup>§§§</sup> **12:42** Deus enim læticaverat, etc. BEDA, ibid. Hæc ad dedicationem sanctæ civitatis, etc., usque ad et victimas bonorum operum maximas immolare curabant. Sed et uxores, etc. Quia tempore resurrectionis non solum qui prædicando vel fortiter operando Ecclesiam ædificarunt, fructum laboris percipiunt, sed etiam infirmiores ejusdem fidei consortes, eadem vitæ perceptione lætantur. Benedixit enim Dominus pusillis cum majoribus Psal. 113..

sacerdotes et Levitas: quia lætificatus est Juda in sacerdotibus et Levitis adstantibus.\* <sup>44</sup> Et custodierunt observationem Dei sui, et observationem expiationis, et cantores, et janitores juxta præceptum David, et Salomonis filii ejus, <sup>45</sup> quia in diebus David et Asaph ab exordio erant principes constituti cantorum in carmine laudantium et confitentium Deo. <sup>46</sup> Et omnis Israël in diebus Zorobabel et in diebus Nehemiæ, dabant partes cantoribus et janitoribus per dies singulos, et sanctificabant Levitas, et Levitæ sanctificabant filios Aaron.

## 13

<sup>1</sup> In die autem illo, lectum est in volumine Moysi, audiente populo: et inventum est scriptum in eo, quod non debeant introire Ammonites et Moabites in ecclesiam Dei usque in æternum:<sup>\*</sup> <sup>2</sup> eo quod non occurrerint filiis Israël cum pane et aqua, et conduixerint adversum eos Balaam ad maledicendum eis: et convertit Deus noster maledictionem in benedictionem. <sup>3</sup> Factum est autem, cum audissent legem, separaverunt omnem alienigenam ab Israël.<sup>†</sup> <sup>4</sup> Et super hoc erat

\* **12:43** Recensuerunt quoque, etc. BEDA, ibid. Gaudentibus cunctis, etc., usque ad et cum magna laude et lætitia erat dedicata.

\* **13:1** In die autem illo lectum, etc. BEDA in Esdr., lib. 3, tom. 2. Hi quia de incestu nati sunt, etc., usque ad sed Deus maledictionem Balaam in benedictionem populi sui convertit, et eum ab armis inimicorum munivit. † **13:3** Factum est autem, etc. Quia necesse est nos auditui veritatis intendere, ubi cum ab uno quolibet vitio lectione divina prohibemur, continuo etiam quidquid vitii sordidantis in nobis deprehendimus, ab actione nostra et conscientia repellamus.

Eliasib sacerdos, qui fuerat præpositus in gazo-phylacio domus Dei nostri, et proximus Tobiæ.  
 5 Fecit ergo sibi gazophylacium grande, et ibi erant ante eum reponentes munera, et thus, et vasa, et decimam frumenti, vini, et olei, partes Levitarum, et cantorum, et janitorum, et primitias sacerdotiales. 6 In omnibus autem his non fui in Jerusalem, quia anno trigesimo secundo Artaxerxis regis Babylonis veni ad regem, et in fine dierum rogavi regem.‡ 7 Et veni in Jerusalem, et intellexi malum quod fecerat Eliasib Tobiæ, ut faceret ei thesaurum in vestibulis domus Dei. 8 Et malum mihi visum est valde. Et projeci vasa domus Tobiæ foras de gazophylacio:§ 9 præcepique et emundaverunt gazophylacia: et retuli ibi vasa domus Dei, sacrificium, et thus. 10 Et cognovi quod partes Levitarum non fuissent datae, et fugisset unusquisque in regionem suam de Levitis, et cantoribus, et de his qui ministrabant: 11 et egi causam adversus magistratus, et dixi: Quare dereliquimus domum Dei? et congregavi eos, et feci stare in stationibus suis. 12 Et omnis

---

‡ 13:6 In omnibus his. BED., ibid. Hæc sententia, etc., usque ad quæ reversus Nehemias mox exstirpavit. § 13:8 Et projeci vasa domus Tobiæ. ID., ibid. Qui supradictus est servus Ammonites inimicus populi Dei, etc., usque ad quæ communicatio hæreticis et schismaticis cum orthodoxis et pacificis filiis Dei. Et projeci. ID., ibid. Tu quoque quidquid inter fideles infidelitatis et immunditiae repereris, etc., usque ad sicut enim Nehemias in cæteris, ita et in hoc ejus personam repræsentavit. ID., ibid. Sex diebus operari per legem quæ necessaria sunt, in septima jubemur quiescere, etc., usque ad ab his quæ ad victimum et vestitum pertinent, prorsus intuitum avertant, sed congruo moderamine dispensem.

Juda apportabat decimam frumenti, vini, et olei, in horrea. <sup>13</sup> Et constituimus super horrea Seleniam sacerdotem, et Sadoc scribam, et Phadaiam de Levitis, et juxta eos Hanan filium Zachur, filium Mathaniæ: quoniam fideles comprobati sunt, et ipsis creditæ sunt partes fratrum suorum. <sup>14</sup> Memento mei, Deus meus, pro hoc, et ne deleas miserationes meas quas feci in domo Dei mei, et in cæremoniis ejus. <sup>15</sup> In diebus illis vidi in Juda calcantes torcularia in sabbato, portantes acervos, et onerantes super asinos vinum, et uvas, et ficus, et omne onus, et inferentes in Jerusalem, die sabbati. Et contestatus sum ut in die qua vendere liceret, venderent. <sup>16</sup> Et Tyrii habitaverunt in ea, inferentes pisces, et omnia venalia: et vendebant in sabbatis filiis Juda in Jerusalem.\*\* <sup>17</sup> Et objurgavi optimates Juda, et dixi eis: Quæ est hæc res mala quam vos facitis, et profanatis diem sabbati? <sup>18</sup> numquid non hæc fecerunt patres nostri, et adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, et super civitatem hanc? et vos additis iracundiam super Israël violando sabbatum. <sup>19</sup> Factum est autem, cum quievissent portæ Jerusalem in die sabbati, dixi: et clauerunt januas, et præcepi ut non aperirent eas usque post sabbatum: et

---

\*\* **13:16** Inferentes pisces et omnia, etc. ID., ibid. Piscis bonus, est pia fides, quam qui a Domino malus, infirma cogitatio quæ se curis hujus mundi ultra modum immergit, quam nobis Tyrii, id est, coangustati quærunt in sabbato vendere, cum immundi spiritus quietem nostræ cogitationis importune profundis sæculi curis obruere tentant. Sed pro tali mercatu Nehemias optimates objurgat Juda et castigat, dum divina inspiratio eos qui professioni pietatis servire conantur, ab hujusmodi cogitationibus purgat.

de pueris meis constitui super portas, ut nullus inferret onus in die sabbati.<sup>††</sup> <sup>20</sup> Et manserunt negotiatores, et vendentes universa venalia, foris Jerusalem semel et bis. <sup>21</sup> Et contestatus sum eos, et dixi eis: Quare manetis ex adverso muri? si secundo hoc feceritis, manum mittam in vos. Itaque ex tempore illo non venerunt in sabbato. <sup>22</sup> Dixi quoque Levitis ut mundarentur, et venirent ad custodiendas portas, et sanctificandam diem sabbati: et pro hoc ergo memento mei, Deus meus, et parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum.<sup>‡‡</sup> <sup>23</sup> Sed et in diebus illis vidi Judæos ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, et Moabitidas.<sup>§§</sup> <sup>24</sup> Et filii eorum ex media parte loquebantur azotice, et nesciebant loqui judaice, et loquebantur juxta linguam populi et populi. <sup>25</sup> Et objurgavi eos, et maledixi. Et cecidi ex eis viros, et decalvavi eos, et adjuravi in Deo ut non darent filias suas filiis eorum, et non acciperent de filiabus eorum filiis suis et sibimetipsis, dicens: <sup>26</sup> Numquid non in hujuscemodi re peccavit Salomon rex Israël? et certe in gentibus multis non erat rex similis ei, et dilectus Deo suo erat, et posuit eum Deus regem super omnem Israël: et ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ. <sup>27</sup> Numquid et nos inobedientes fa-

---

<sup>††</sup> **13:19** Factum est autem. BED., ibid. Conscientia nostra, etc., usque ad ideo merito sequitur. <sup>‡‡</sup> **13:22** Dixi quoque Levitis ut mundarentur, etc. ID., ibid. Mundari eos a quotidiano operis exercitio necesse est, etc., usque ad oportet ut prius mentem suam et actus purifcent ab omni errorum labo. <sup>§§</sup> **13:23** Sed et in diebus illis. ID., ibid. In Ecclesia uxores alienigenas ducunt, etc. usque ad sed gentili sensu interpretantes.

ciemus omne malum grande hoc ut prævaricemur  
in Deo nostro, et ducamus uxores peregrinas?  
**28** De filiis autem Jojada filii Eliasib sacerdotis  
magni, gener erat Sanaballat Horonites, quem  
fugavi a me. **29** Recordare, Domine Deus meus,  
adversum eos qui polluant sacerdotium, jusque  
sacerdotale et Leviticum. **30** Igitur mundavi eos ab  
omnibus alienigenis, et constitui ordines sacerdo-  
tum et Levitarum, unumquemque in ministerio  
suo:\*\*\* **31** et in oblatione lignorum in temporibus  
constitutis, et in primitivis: memento mei, Deus  
meus, in bonum. Amen.†††

\*\*\* **13:30** Igitur mundavi eos. ID., ibid. Apertius per omnia  
finis et condignus ædificio sanctæ civitatis et templi Domini, ut  
emundatis civibus alienæ a Deo pollutionis, ordines sacerdotum  
et levitarum in ministerio suo rite custodiantur, ut instituti reg-  
ulariter magistri Ecclesiæ castigatum ab omni peccato populum  
de cætero in bono permanere, et crescere semper exhortentur.

††† **13:31** Et in oblatione lignorum in temporibus constitutis et  
in primitivis. Inter cætera populus ligna offert ad ignem altaris nu-  
triendum, cum opera virtutum divina consecratione digna operan-  
tur. Ardent ligna et consumuntur in altari holocaustorum, cum in  
cordibus electorum, opera justitiæ flamma charitatis perficiuntur.  
Memento mei, Deus, in bonum. Merito talis conditor et dedicator  
civitatis, post multos devotionis labores, memoriæ se Creatoris et  
largitoris omnium bonorum commendat.

li

**Bibbia Vulgata Clementina na 1598  
Clementine Vulgate of 1598 with Glossa Ordinaria  
Migne edition 1880 in Latin**

Public Domain

Language: Latine (Latin)

Translation by: Jerome

2014-08-23

---

PDF generated using Haiola and XeLaTeX on 11 Nov 2022 from source files

dated 9 Oct 2020

7ca33455-379f-554d-a635-9009adbd90c5